

ut primi regum 12. dicitur: Consti-
tuit super nos regem et rex graditur
ante nos. Verum est, dum dictus episco-
pus modico tempore ad terram nativi-
tatis sue inisset, dictus dux castrum
edificavit prope Amelicourt, construens
ibi salinas, fundumque sibi compara-
verat a nobilibus de Amelicourt,
quod dominus episcopus in redditu
suo destruxit et aliud pro se prope
edificavit. Unde mortuo duce cum
ducissa Maria de Blays facta est
concordia pro quadam pecunie summa
ducisse danda, pro qua solvenda
episcopi castrum est datum in mani-
bus quorundam nobilium, summa
soluta episcopo restituendum. Interim
ducissa suum incepit reedificare
castrum et custodes castri episcopi
muros ad destructionem subfoderunt
tradiciose. Unde pecunia soluta
castrum episcopi incenderunt et per
incendium destruxerunt. Videns ergo
episcopus se deceptum statim cum adiu-
torio Melensium iterum castrum ducis
destruxit cum 4 aliis, scilicet duo
in Amelicourt, unum in Ethirvilla et
unum in sancto Apro. Et quia sic
frequenter hostiliter est invasus ideo
sagaciter sibi providit, villas firmando
castra edificando, sicque se defendendo
et utilitatem ecclesie procurando.
Nam villam de Nomeneyo cinxit muro,

9/ blays con. blays man. res.